

met validiores suum munus absoluant,
minusq; afflictam naturam fatigent.

*Facultates
remediorū
Chymicorū
validiores
esse, quām
integrorū.*

Validiores autem esse facultates, ne-
mo est qui in dubia vocare ausit. Patet
hoc ex Hippocratis, Galeni, aliorumq;
cōsensu, qui remedia, diuersis partib.
donata, soluenda existimant, ut eō libe-
riūs vires suas exerceat. Sed an nō aucto-
ritatem exsuperat ratio. Iam enim, cūm
de remedio in primis dissimilari nobis
sit sermo, luce meridiana clarus est, di-
uersarum partium diuersas vires, inui-
cem iunctas, mutuis operis intercipi &
impediri: non aliter, quām si arte com-
positum medicamentum minus præstet,
quām si foret simplex. Do quidē haud
difficulter, quandoq; non minus natu-
rale, quām artificiale, ex contrarijs, vel
såltem diuersis conflatum, usui esse pos-
se: sed quando altera qualitas sola re-
quiritur, opportunius futurum est, si ea,
recluso toto, producatur, sepositis om-
nibus, quæ actionem eius, vel impedi-
re, vel deprauare possent. Triticum no-
cet comedere: at si in partem aptetur,
utilis fit cibus. Quid ergo accidit ipsi?
Multa inquit Hippocrates. Ea enim,
quibus

*De Veteri
Medicina.*